



QUÆSTIO MEDICA,
CARDINALITIIS DISPUTATIONIBUS
MANE' DISCUTIENDA
IN SCHOLIS MEDICORUM,

Die Jovis vigeſimâ ſeptimâ Martii 1710.

M. FRANCISCO GOUEL,

DOCTORE MEDICO ET SCHOLARUM PROFESSORE,

PRÆSIDE.

An Aër qui temperatiſſimus videtur, perinde omnibus ſalubris?

I.

CORPUS à corpore, naturam à naturâ differre, non tam Hippocratis effatum quàm ipſius Naturæ vox. Materia nec uniuſmodi nec ſui ſimilis uſpiam reperitur. Animalium corpora quantò compoſitiora ſunt, tantò magis præ cæteris varietati obnoxia. In hâc varietate explorandâ omnem ſuam genuinus Medicus operam conſumit; ut inde varium medendi genus excogitet. Cui aëri, morbo contumaci languentem committat ſollicitus, an ſtricto ſit æger, an fluxo habitu? expendet: fabricam pulmonis pectoriſque ſcrutabitur: ſitne amplus ductiliſque pulmo, minimo aëris hauſtu inflabilis? an verò contrà arctior atque adeò compactior, illabenti toto pondere aëri vix obſequens? an veſiculæ pulmonares flexi-

les, rigidæve? bronchia patula, aut obſtructa? Nec minùs attendet ad liquorum, quibus perluitur hoc viſcus, indolem; ratum habens, maximum ad pulmonis integritatem momentum afferre ſanguinis præſertim qualitatem ac motum.

II.

NEC mira eſt tanta corporum in eâdem etiam animantium ſpecie à ſe invicem diſcrepantia. Effectus cauſarum ſortem ſequuntur. Diverſam naturam induunt Homines, qui cauſis non-naturalibus diversè utuntur. Aëris præ cæteris eximia poteſtas: ipſe innumeris cauſis, quibus variè afficitur, obnoxius, affectiones ſuas in corpora ſibi immerſa tranſfundit. Porrò varietas aëris non tam ejus naturæ aſſignanda, quàm terrearum & aquearum particularum quibus inficitur admiſtioni. Ille ſiquidem purus meruſque (ſi fas eſt ſuſpicari) congeries eſt particularum homogenearum, quæ Terræ poris ceu uteris propriis, cæterorum Animantium inſtar, adultæ, motu vorticis in Atmoſphæram abripiuntur; ubi interflui ætheris æſtu inter ſe agitatæ, liquorem aereum conſtituunt. Diductis à ſe invicem particulis illis præ calore, rareſcit aër; coactis ob frigus, denſatur. His prætereà elaterem tribuere commentitium eſt, quia ſuperfluum. At pondus ineſſe in aereo liquore, idque varium pro loci conditione, nihil teſtatius. In his omnibus uber eſt cauſarum proventus, unde aër tantopere ab aëre diſcrepet; ſive gravitatis nomine, ſive ob calorem & frigus, ſive tandem pro corpuſculorum heterogeneorum naturâ. Ab his fon-

tibus procul dubiò tantæ in naturis Hominum diſſimilitudines; ut alia aliis ſint, pro vario Cœli tractu, non ſolùm temperamenta, ſed etiam mores & ingenia: quin ejuſdem Cœli mobilis humor non ocyùs vias mutaverit, quàm animorum ſpecies vertentur & pectora alios atque alios motus concipient.

III.

PRODIGIO ſimile foret, ſi quæ diverſis cauſis debent originem, ab unâ eâdemque conſervari poſſent. Naturæ eſt conſentaneum ut idem aër non æquè conveniat Animalibus, quibus diverſus à primordiis ingeneratus eſt. Juvat aër, aut lædit Animalia multifariam intùs & extrinſecùs. Pondere aëris reſpiratio perficitur, abſque ope nitri aerei, quod alterum eſt commentum cum aëris elatere repudiandum: neque enim ulla fit aëris & ſanguinis in pulmone mixtura. Reſpirationis autem non unum emolumentum: præcipuum, ut chylus, ſimul advenit, accuratè ſanguineo cum latice permiſceatur. Frigore præterea & calore pulmones aër afficit, ſicut & univerſum corporis habitum: unde patet, quantæ in ἀδήλου διαπνοῆς negotio ſint Aëris partes. Denique in ſanguinem inductus aër eâdem viâ quâ cibus & potus, ei forſan aliquid ad motum impertitur; tum ſuas qualitates, ſi quas habet, allinit.

IV.

SOLEMNE eſt Mortalibus vitium, non tam ex naturâ rei, quàm ex ſuis commodis rem æſtimare. Gallis optimo aëre ſe uti perſuaſum eſt, quippe ſibi ſalubri: at Lapponibus non idem erit judicium;

228'

qui Sueciam nequeant adire, quin jam æstuantes sub dio pernoctent. Vice versâ qui sub curru Solis degunt, apud nos algebunt. Hinc multis in morbis nulla ægris peregrè agentibus præsentior medicina, quàm ut natali aëri quantocyùs reddantur. Morbi tamen vitio sæpè fit, ut aër alienigena natali sit præstantior. Sic tabidis asthmaticis patrium aërem mutare aliquando expedit. Visus est adolescens, qui in Gallo-provinciâ quot-annis ineunte Vere ἄναυδος factus, vocem reciperet, ex quo Lugdunum migrans, crassiorem aërem hauriebat. Quid cæteros casus commemorem? Notum etiam Chirurgis, capitis vulnera regionibus paulò calidioribus periculosa esse, quæ frigidioribus periculo vacant: contra verò tibiarum vulnera se habere, eâdem experientiâ compertum est.

V.

AEREM igitur esse, qui unus idemque sit æquè omnibus salubris, rerum Naturæ repugnat. Hâc magistrâ Medicus docetur, nihil fermè esse adeò universè bonum aut malum, quod omnibus ac semper prosit aut noceat: sic Medicinam universalem in votis semper futuram; ut Scepticorum axioma, πάντα πρός τι si uspiam valet, in arte Medicâ potissimùm obtineat.

Non ergò Aër qui temperatissimus videtur, perinde omnibus salubris.

Proponebat Parisiis CAMILLUS FALCONET, Lugdunæus, Baccalaureus Medicus. A. R. S. H. 1710.

Typis Viduæ Francisci Muguet Regis & Facultatis Medicinæ Typographi.